


QVÆSTIO
DE
VLTIMA FELICITATE CREATVRÆ RATIONALIS.

Permissu Admm Reueren Patris,
D. M. ALBERTI BOROVII, S. Th. Doct. & Profess. S. Floriani Cust. S. Theologicæ Facultatis DECANI.

Præsidente Adm Reueren Patre,
D. M. MARTINO CAMPIO VADOVIO, S. Th. Doct. & Profess. Eccl. Colleg. S. FLORIANI Præposito, &c. Præceptore Colendissimo.

A

GASPARO FIOŁKOWICZ, S. Th. Baccalaureo, Pro Licentia ad S. Th. Doctoratum obtinenda, in Alma Acad. Crac. publice ad disputandum Proposita.

In Lectorio DD. Theologorum, Anno Salutis Humanæ M. DC. XXXII. Mensis Ianuarij Die Hora

CRACOVIÆ, *In Officina Francisci Cæsarij.*

IN ARMA
Generosi Domini,
D. IOANNIS THOMÆ
KRZYWCZYCKI.



Fascibus orbatam miraris stare Bipennem:
Cui decori semper sella curulis erat.
Hoc decus est Iuuenis Gradiui sanguine nati:
Non potis est sellæ ferre curulis onus.
At postquam vitæ teneros excesserit annos:
Splendebit Patriæ fascibus illa suis.



QVÆSTIO
DE
VLTIMA FELICITATE
CREATVRÆ RATIONALIS.

Ex Prima Parte Doct. Ang. Q. 12.

V. Intellectus Beatorum eleuatus Lumine Gloriæ; videns Deum intuitiuè; videat omnia in eo quæ sunt formaliter, & eminenter, inæqualiter: propter Lumen Gloriæ: ita vt perfectio naturalis intellectus nihil ad inæqualitatem Visionis Beatæ conferat: nec ne?

CONCLVSIO I.

Intellectus Beatorum ad videndam intuitiuè Essentiam Dei, supernaturali habitu Luminis Gloriæ eleuari debet.

COROLLARIA.

1. *Solius naturæ donis ornatus intellectus creatus seu humanus, seu Angelicus, intuitiuè & quidditatiuè Deum attingere non potest. Hinc superuacaneus labor Philosophi naturalis: si Visionem Dei intuitiuam possibilem connixus fuerit demonstrare.*

2. *Visio Beata ita est supernaturalis omni intellectui creato; vt nulla creabilis sit creatura, cui connaturalis esse possit.*

3. *Nullum de facto lumen naturale, aut auxilium Dei actuale extrinsecum; ad eliciendam Visionem Beatificam cum intellectu creato concurrit: sed supernaturale, habituale, Lumen scilicet Gloriæ.*

4. *Non implicat per absolutam Dei potentiam, posse fieri Visionem Beatam, absq; habitu Luminis Gloriæ: si Deus auxilio tantummodo speciali actuali defectum Luminis Gloriæ supplere voluerit.*

5. *Lumen Gloriæ non est lux increata: nec ipsa Visio Beata: nec supernaturalis animæ potentia: nec species im-*

cies im-

cies impressa Diuinæ naturæ manifestatiua: nec qualitas aliqua habitualis nimirum Charitas aut Gratia: sed habitus creatus supernaturalis intellectui infusus, eumq́; perficiens ad eliciendam Visionem Beatam.

CONCLVSIO II.

Potest ab Intellectu creato seu Humano, seu Angelico, Lumine Gloriæ eleuato, Essentia Diuina intuitiuè videri; & de facto à Beatis clarè & intuitiuè videtur.

COROLLARIA.

1. Nulla potentia etiam infinita absoluta in eo statu oculum corporeum reponet, vt Deum intuitiuè attingat: habebunt tamen oculi corporei gloriosi corporis dotem beatitudinis; cum Christi D. Corpus gloriosum sole lucidius & Sanctorum intuebuntur.

2. Lex Dei ordinaria reclamat, à purâ creatura in hac vita posse Deum intuitiuè videri, quod absoluta concedere minime reformidat.

3. Christus Dominus vt pote Viator simul & Comprehensor, à primo instanti conceptionis suæ Essentiam Diuinam vidit, eaq́; fruebatur. B. quoq́; Virgo post Christũ super omnes homines omnibus prærogatiuis gra-

tiarum dotata eo maxime tempore quo Christum Deum in vtero suo Virgineo gestabat Deum intuitiuè vidit. Moisi & S. Paulo ex priuilegio idem concessum vt probabile teneo: ita cæteris pernego.

4. *Actum Visionis Beatæ, intellectus Lumine Gloriæ eleuatus, simul cum Lumine Gloriæ effectiue ita efficit; vt vtraq; causa totaliter in suo genere ad eum producendum concurrat.*

5. *Species impressa, per quam Beati de facto videant Deum nulla datur, nec de possibili dari potest: imo & expressam de facto dari vt probabilius pernego: ipsam vero Essentiam Dei vtriusq; vicem supplere asseuero. Quare non rectè impressam possibilem negant, qui expressam de facto admittunt.*

CONCLVSIO III.

Beati de facto videntes Diuinam Essentiam, vident omnia in Deo quæ sunt formaliter: non omnia tamen quæ sunt eminenter, verùm plura aut pauciora secundum modum quo vident Deum.

COROLLARIA.

1. *Igitur vident omnes perfectiones Diuinas, & at-*

tributa

tributa necessaria tàm absoluta quàm relatiua, atq; adeò omnes Sanctissimæ Trinitatis Personas. Neq; de absoluta Dei potentia videre possunt Essentiam sine attributis & Personis, nec è contra: nec vnam Personam sine alia.

2. *Singuli Beati vident clarè in Verbo omnia mysteria nostræ fidei, quæ in via obscurè per fidem cognouerunt. Vident præterea quædam singularia & libere contingentia omnia, quæ ad suum statum pertinent: Cuius ratio non in intensionem aut indiuidualem perfectionem Visionis, vel Lumen Gloriæ referenda; sed in ipsam Diuinam Essentiam diuersimodè cum potentiis Beatorum concurrentem.*

3. *Nullus Beatorum videns Essentiam Dei videt omnes distinctè creaturas aut secundum esse possibile, aut secundum esse actualis existentiæ: licet vnusquisq; videat totam vniuersi machinam, eius perfectionem & ordinem: atq; omnes naturas genericas & specificas in certa temporis differentia futuras.*

4. *Christus Dominus vt homo omnia quæ Deus Scientia Visionis nouit: nimirum præsentia, præterita, & futura, ipsumq; diem extremi iudicij, possibilia vero licet non omnia plurima tamen cognouit.*

5. *Beati quæcunq; in verbo vident; ab initio suæ*

beatitu-

beatitudinis simul & non successiue vident. Orationes tamen ad se directas probabilius est quod distincta cognitione à Visione Verbi cognoscãt: quas sola Anima Christi Domini à primo instanti beatitudinis in Verbo videt.

CONCLVSIO IV.

Non omnes Beati æquali perfectione Diuinam Essentiam intuentur; sed vnus perfectius alio.

COROLLARIA.

1. Diuersitatem hanc Visionis intellige, non ex parte obiecti primarij per se visi: sed ex parte ipsius visionis, eò quod vna perfectior & clarior sit alterâ, etiam respectu eiusdem obiecti primarij: siue inæqualitatem essentialem non reperies in Visione Beata, sed accidentalem.

2. Certum est multos inter homines æquales futuros in beatitudine etiam accidentali: quod de Angelis in via S. Doctoris nequaquam admitti potest.

3. Licet aliqui Beati minus perfectè Deum videant quàm alij non tamen desiderant eum amplius & perfectius videre: sed vnusquisq; Beatorum contentus est gradu suæ beatitudinis.

4. Hinc vnusquisq; vi suæ beatitudinis, tàm natu-

ralem

ralem quàm elicitum, tàm intellectus, quàm voluntatis appetitum perfectissime satiatum habet. Concedere vero Beatos appetitum naturalem, seu propensionem naturalem animæ reuniendi suis gloriosis corporibus habere, nullum est inconueniens.

5. Beatitudinem creaturæ rationalis formalem, Visio, Fruitio, Gaudium, ita absoluunt: vt Fruitio, & Gaudium, Visionem tanquam suam Essentiam consequantur.

CONCLVSIO V.

Inæqualis Visionis Beatificæ, causa proxima est, inæquale Lumen Gloriæ, & non perfectio naturalis intellectus.

COROLLARIA.

1. Ergo perfectio intellectus creati, nihil confert ad intensiorem & clariorem Visionem Dei: nec imperfectio de eadem diminuit.

2. Rectè dices Visionem Angeli Beatam esse eiusdem speciei cum Beata Visione hominum: & Christi Domini cum Visione omnium Beatorum.

3. Lumen Gloriæ in tanta intensione Beatis infunditur, in quanta intensione Habitus Gratiæ, & Charitatis in via habuerunt.

4. In via habitibus infusis nunc æquales, nunc remissiores Actus elicere possumus: Beati in patria necessario æqualem Visionem Lumini Gloriæ eliciunt: vnde qui æquale Lumen Gloriæ habent æqualem quoq; Visionem necesse est habeant.

5. Omnium suprema Regina B. Virgo Dei Mater: sicut omnes homines & Angelos Gratiæ donis superauit: ita intensione & claritate Visionis Beatæ omnes Beatos antecellit. Christus vero Dominus vt homo non solum omnibus singulis Beatis verum etiam omnibus collectiuè sumptis, clarius & perfectius Diuinam Essentiam contuetur.

Ad Maiorem Dei Gloriam, Virginisq; Mariæ honorem.





Sub felicibus auſpicijs Adm̃ R. P. ac Magnifici Domini, D. IACOBI NAYMANOWIC, I.V.D. & Profeſſ. Canonici Cracouieñ, Archidiaconi Pileceñ, &c. Vniuerſitatis Crac: Generalis RECTORIS. Vigilantiſsimi.